



~~11-58~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

11-58

SIGNAT. clvccccxiii.

GENIUS  
Bonorum Principum & Tyrannorum,  
Ex  
J. Lipsio & Johanne  
Barclajo  
præfiguratus:  
*In Solemni Panegyri Donativorum  
Anniversariâ,*  
Characteribus Oratoriis,  
in Elisaberano  
*Extremo Majo A. C. cl. lxx. XLVI.*  
exponendus:  
MODERATORE  
CHRISTOPHORO COLERO  
Historiarum Professore.

---

*Bresla, exscripsit Georgius Baumannus.*



## Lectori rerum civilium

prudentissimo S. D.

**P**ostquam vertente superioris anni Novembri, praesentibus nobis magno Casaubono & CL. Boeclero, acerrimis veterum characterum vindicibus, illud disciplinae genus, quod Characteristicum vocant, definiimus, & diversa characterum genera prae monstravimus, restare nunc videtur, ut, moderatore posteriore illorum generis humani praeceptorum, modum & rationem Characteres noscendi, discernendi & formandi discamus. Hic verò ad tria, quemq; Characterismi studiosum diligenter attendere praecipit, quomodo nempe Philosophia intimas ipsi rationes morum recludat: Eloquentia delectum verborum, & civilitatem sententiarum subministret; Historia judicium circa utramq; cognitionem exemplis dirigat, ut congruentia experientiae rebusq; sint vel praecipue, quae sic scribuntur. Ut verò res exemplo manifestior fieret, dicit; Scribendum esse characterem Hominis Oligarchici: ac jubet scripturum ante omnia ad maximum rerum civilium consultum Aristotelem abire, & ex eo cognoscere naturam Oligarchiae & Oligarchica studia; hinc pergere ad divinum Platonem, qui in caelesti suo de Rep. opere, diligenti philosophia describit, qui mores sint Hominum Oligarchicorum & Democraticorum. Porro jubet etiam aliquem sibi proponere characterem Hominis Oligarchici à Theophrasto compositum: postremum inquirere in exempla Appiorum, Manliorum, & similium: quae ubertim suppeditet Historia. Jam visa erit pedum via, si judicium & eruditio aderit, sine quibus nihil in studiis praeclare geritur; uti acutissimus Characterista noster claudit. Etsi verò hoc genus scribendi non cadit in cujusvis naturae facultatem: tamen pro modulo  
captus

Disfert.  
Flor. ad  
c. 3. l. 5.

*captus mei conarer Characterismum Hominis Monarchici, Principis  
 boni & mali; Successionis aut Electionis Jure talis representare; ur-  
 gente sic BARCLAIANÆ ICONIS serie, quæ nobis absolutis  
 personarum privatarum notis GENIUM PRINCIPIUM offert: nisi  
 hoc altioris curæ, non desultoriæ nunc opellæ res esset. Interim ve-  
 lim, benevole Lector, hoc Catene contentus sis, si habitâ nunc tem-  
 poris ratione, quædam non in Characterem Monarchicum integrum  
 plenius & planius adornata, sed saltem quædam in bonis Auctoribus  
 χαρῶν ἡσυχῶς dicta, id est, quæ emphasi & formâ expres-  
 sionis tanquam notas morum graviter designant, observata an-  
 notavero: qualia multa passim in Historicis, Pœtis, Oratoribus oc-  
 currentia, diligenter observanda esse serîo monet nunquam satis lauda-  
 tus BOECLERUS noster. Quanquam non tam alia instituti mei ra-  
 tio, quàm argumenti invidia & periculum, me à liberiore scripturâ  
 absterrent. Quippe arcana Principum, domûs, & domina-  
 tionis regîæ, ac Imperii penetrare & aperire velle, periculo Hor. l. 2.  
 sæ plenum opus alex est, atq; incedere per ignes suppositos Od. 1.  
 cineri doloso. Equidem haud quaquam ignoro, meum aut mei  
 similium, in Otio Sapientis & pulvere erudito consenescentium, nullis  
 reip. negociis permixtorum, non esse, audacius de Auspiciis, confi-  
 liis, & secretis Regum disputare: quando ipsis Magnis Statûs  
 Regii Ministris & Amicis intima admissionis, dehortante Tacito, ab-  
 ditos Principum sensus, & si quid occultius parant, exqui-  
 rere illicitum, & anceps; nec ideò assequantur. Eâ de  
 causâ non immeritò Romano Sapienti visum teterrimum vitium, se-  
 cretorum inquisitio, earumq; rerum, quæ nec tutò narran-  
 tur, nec tutò audiuntur. Quin ipse Barclajus noster, exquisi-  
 tissimum aularum ingenium, ubi in allegato materia nostræ penso de  
 Regum ingenio mentio oblata esset, obsequii aulici arte & prudentiâ  
 cautâ philosophiam suam ita temperat & restringit, laudante hoc ipsum  
 artificium Argentoratensi illo Historico & Oratore. Sed hanc  
 mentem illorum (inquit Iconis ille artifex) Regum seipsum  
 uni Numini debentem explorare, fortasse sacrilegæ sapien-  
 tiæ*

Boecl. de  
 Auspicio  
 Regio c.  
 q. sect. 5.

Sen. de  
 Tranq.  
 c. 12.

De Au-  
 spicio  
 Regio  
 alleg. loc  
 cap. 13.



tiæ esset; neq; fas nobis deprehendere illos motus, quos ad gubernationem orbis, & mutationem rerum, ac præcipua humani generis fata, illis divina vis ingenerat. Quærant licet curiosi, an sit utilius Reges à puero in sceptrâ venire, & huic magnitudini assuescere, tanquam simul secum natæ, quàm sub paterno cognato imperio adolescere, tantæ demùm fortunæ hæreditatem adituros? Num pacati, nec quidquàm detrectantis populi obsequium, frangat mollitiæ Regum animos, tam securâ potestate luxuriantes? An potius ille amor civibus Regem veluti patrem familiâs charissimorum domesticorum officiis conciliet? Deniq; si averis civium animis bello occupandus fuerit legitimus dominatus, utrum post victoriam Princeps odio contemtuq; grassaturus videatur, an verò experta pericula, nec aliter quàm gravius reditura, eum ad alternam placendi sollicitudinem deductura sint. Utrinq; argumenta exempla que non deerunt, quæ (per vicissitudines mortalium rerum) quanquam sub iisdem sæpe causis non eosdem tamen exitus sortita sunt. Sed frustra est hæc Numinis consilia explorare. Sit à curiosis cogitationibus intactum Regum culmen, ac, ut arcana in sacris vetustatis, non nisi ad adorationem suspiciatur. Nam optare bonos Principes est; damnare etiam nocentes religio. Ac cum præterea non tam ipsi se regant, quàm ducentibus fati permittant (quæ per illorum affectus Imperiorum inclinationes & incrementa constituunt) omnis ars atq; prudentia insipientium in eorum genium, & de illo conjicientium sæpissimè fallit. *Hæc Aulicus ille Apollo ex veri tripode respondit: cuius cordatisimo responso Politicus Lector faciliùs acquiescet; quàm si ex ingenio & ore meo sapere mallet. Eapropter ita stili mei acrimoniam attemperabo, ne quicquam cum iis commercii habere videar, qui procaciùs libidinem ingenii exercent; quo iusto meritisimo suo flagella Principum, aut urtica audiunt. Si quid itaq; invidia periculiq;*

*liq̄ subesse possit, rejiciam illud in Mortuos, quos sapientissimus Ar-* Panorm.  
*ragonum Rex Alphonsus scitè Optimos Consiliarios nuncupa-* in Alpho.  
*vit: intelligens libros veterum historiarum, qui sine ira & studio* Apoph-  
*& omni metu de sui seculi Principibus & Tyrannis puram meramq̄ ve-* thegm.  
*ritatem propinare soliti sunt. Homerus ingeniorum fons suum A-* Tacit. i.  
*gamemnonem perfectum legitimumq̄ Regem duplici notâ designat,* An. c. i.  
*quando illum, ἀμφότερον, βασιλῆν ἀγαθόν, κροτέρον τ' αἰχμητὴν j. Iliad. γ.*  
*utrumq; & rectorem bonum & bonum Imperatorem: &*  
*passim ποιμένα λαῶν j. pastorem populorum: alibi Ulysem, Odiss. β*  
*πατέρα ἠπίον, j. mitem patrem: contra malum Principem δημο-* Iliad. α  
*βόρον βασιλέα j. populorum Regem indigitat. Divinus Plato divi-* in Polit.  
*nitatis jus bono Principi tribuit, quando illi ὁ βασιλεὺς, ὡς θεὸς ἐξ ἀν-*  
*θρώπων, j. Rex Deus quispiam humanus est. Callimachus Hym. in*  
*expressè ait: ἐκ Ἰδίου βασιλῆες j. Ex Jove sunt Reges. Quibus Jov.*  
*accinit, & serio inculcat ipse Homerus: διοτρεφέας βασιλῆας j. à Jo-* Homer.  
*ve educatos Reges. De quo Regis epitheto Diogenes apud Dio-* Iliad. α  
*nem notabiliter ita disserit: Quando Homerus dicit Reges es-* Orat. 4.  
*se à Jove nutritos, & Jovi amicos, tunè aliud quid putas e-* de Regn.  
*um dicere, quàm cibum illorum, de quo dixit, esse doctri-*  
*nam & disciplinam? An tu putas eum dicere, quod Reges*  
*à Jove nutriantur, lacte tanquam à nutrice & vino & cibus,*  
*& non potius scientiâ & veritate? Sagacissimus verò non tam*  
*Philosophorum quàm omnium mortalium Aristoteles & Regis &* l. 8. Ethic.  
*Tyranni hanc distinctionis notam facit, quando ait: ὁ μὲν τύραννος* c. 10.  
*τὸ ἑαυτῷ συμφέρον σκοπῆ, ὁ δὲ βασιλεὺς, τὸ τῶν δέχοιμένων j. Tyran-*  
*nus suum ipsius commodum spectat, & quærit: at Rex*  
*subditorum. Pleniore characterismo, si quis alius, Julius Pol-* l. i. c. 2.  
*lux in suo Onomastico, Commodo Cæsari, Reip. satis In-*  
*commodo, cujus pueritiam ipse instituerat, significantius his Epi-*  
*thetis, & Regem & Tyrannum expressit; quæ interprete Gracè doctis-*  
*simo Wolfgango Sebero ita Latine sonant: In Regis laudem ita*  
*dices; Pater, blandus, mansuetus, jucundus, providus, æ-*  
*quus, humanus, magnanimus, liber, divitiis imperans, af-*  
*fectibus*



fectibus carens, sui compos, voluptati imperans, rationalis, ingeniosus, solers, circumspēctus, consultus, justus, sapiens, religiosus, hominum tutor, firmus, constans, infallibilis, magnificus, robustus, strenuus, laboriosus, subditorum curam gerens, salvator, beneficus, ad vindictam tardus, securus, erroris expers, immobilis, diligens justitiæ observator, comis ad colloquium, facilis, colloquia admittens, mitis, lenis, subditorum defensor, militiæ studiosus, bellicosus quidem, sed belli osor. Pacis amans, pacificus, pacis custos, doctus, Princeps, vel Primarius, Legislator, ad beneficia natus, Divinus. Vituperans verò ita dices: Tyrannicus, crudelis, bestialis, violentus, avarus, opum studiosus, & Platonicum illud ἐργαστήριον, rapax, & Homericum illud δημοβόρον, populi devorator. Contemptor, superbus, difficilis, ad colloquium durus, asper, iracundus, malevolus, stolidus, turbulentus, voluptatibus succumbens, intemperans, impotens, ratione carens, hominum osor, injustus, consilii expers, iniquus, prophanus, inconsultus, levis, inconstans, fallibilis, lubricus, immitis, cupiditatibus deditus, prodigus, contumeliosus, bellorum motor, gravis, molestus, effrenis, & intolerabilis. *Hæc Grammaticus ille Naucratis ultra Grammaticam civiliter, forte ex ingenio Commodi discipuli sui principalis prædoctus, pulcherrimè Philosophatus est. Apud Romanos familiam duxerit Seneca, qui in uno eodemq; Nerone, & bonum Principem in laudatissimo prioris quinquennii imperio, & Tyrannum à priore se longissimè devium, oculatus testis bonâ fide ad vivum delineavit. Nam ille Aulae Neronianæ Sapiens & Principi Juventutis cum Burro Collega præfectus, occasione imperii tam laudabiliter per quinquennium gesti, aggressus est maximè dignos Principe libros De Clementia scribere, ut optimus & innocentissimus vir speculi vice fungeretur, & Principem sibi ipsi ostenderet. In quibus libris, licet omnia sanè auro magis aurea, quæ in priore Nerone eluxerant, hoc tamen, ut gemma, prænitet*



*prænitet monitum:* Illius demùm magnitudo stabilis funda- l. 1. c. 3.  
taq; quem omnes tam supra se esse, quam pro se sciunt;  
cujus curam excubare pro salute singulorum atq; univer-  
forum quotidie experiuntur; quo procedente, non tan-  
quam malum aliquod aut noxium animal è cubili suo pro-  
silierit, diffugiunt, sed tanquam ad clarum ac beneficum si-  
dus certatim advolant, objicere se pro illo mucronibus in-  
sidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per-  
stragem illi humanam, iter ad salutem sternendum sit. So-  
mnum ejus nocturnis excubiis muniunt: latera objecti  
circumfusiq; defendunt: incurrentibus periculis se op-  
ponunt. *Quid paucis his verbis abstrusa sapientia insit, Belgicus*  
*Seneca, Romani illius Sospitator, in Dissertatione peculiari*  
*apud Albertum & Isabellam Belgii Principes olim Lovanii Ho-*  
*spitales Auditores bonâ fide eduxit. Principi etiam bono idem,*  
Neronianæ juventutis moderator exemplum Deorum, l. 1. Clem.  
constituit, ad quod formetur, ut se talem esse civibus, qua- c. 7.  
les sibi Deos esse velit. *Idem alibi philosophatur sic: Clemen-*  
tia efficit, ut magnum inter Regem Tyrannumq; discrimen- l. bid. c.  
sit: uterq; licet non minus armis valletur. Sed alter arma 12.  
habet, quibus in munimentum pacis utitur; alter ut ma-  
gno timore magna odia compescat. Nec illas ipsas ma-  
nûs, quibus se commisit, securus adspicit: contrariis in-  
contraria agitur: nam & invisus est, quia timetur, & time-  
ri vult, quia invisus est. Et illo execrabili versu, qui mul-  
tos dedit præcipites utitur: - - Oderint dum metuant,  
ignarus quanta rabies oriatur, ubi supra modum odia cre-  
verunt. *En ingenuas veri Tyranni notas! Sed nullum vitidius*  
*& pellucidius Speculum boni Principis est, quàm illud, quod sub*  
*persona Optimi Maximi Trajani, Plinius, Atticus ille Roma-*  
*norum Orator ad intuendum omnibus omnium seculorum & popu-*  
*lorum Principibus proposuit: in quo unico (censente eloquentissimo*  
*Baudio) plurâ deprehendamus, quàm quæ excellentissimi*  
Princi-



Principes consequi potuerunt. Ille enim incomparabilis Pa-  
 negyristes (ut summam laudum hinc & inde collectarum saltem pro-  
 mam) ait: nihil prestabilius, aut pulchrius munus Deorum esse,  
 quam castum, sanctum, & Diis similem Principem. Hic enim est  
 (ut hinc & inde ait) Dei vicarius, divinitus constitutus, parens gene-  
 ris humani, pater omnium: liberalis erga bene meritos, virtutum  
 promotor: cuius innocentia ipsi fidissima custodia: cuius formam  
 figuramq; non aurum melius quam favor hominum exprimit: cuius  
 etiam morientis gloria est ingens Remp. magis servare quam suos libe-  
 ros: niti & contendere, ut post se quoq; Reip. prosit, moderationis sci-  
 licet justitiaq; monumentis. Speculum verò Tyranni in persona  
 Domitiani hoc exhibuit: Quod esset bellua immanissima terrore do-  
 mum suam muniens: quæ velut quodam specu inclusa: nunc propin-  
 quorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum civium strages  
 cadesq; proferret. Ipse occursum visuq; obvisus terribilis; tenebras a-  
 lloqui semper secretumq; captans; nec unquam ex solitudine sua pro-  
 diens, nisi solitudinem facturus; crimina majestatis in arenam colligens;  
 Deus, & Dei frater, censeris, Dominusq; salutari volens; exhaustor æ-  
 rarii; muscarum captor, ferarum confector; incestuosus; iners;  
 insidiosissimus ipse, & insidiarum sibi structarum metuens; odio ha-  
 bens Senatui populoq; ob virtutem gratos; optimi cuiusq; spoliator &  
 prædo avidissimus; servos subornans in capita dominorum; philoso-  
 phorum submotor & studiorum relegator: summatum; vitiorum,  
 scelerum & flagitiorum omnium conscius: cuius mors omnibus grata  
 & leta, adeo ut superbie vivo & videnti posita statua, solo illise, trun-  
 cate, & conculcata fuerint. Cornelius Tacitus Plinii equalis  
 propè, in æternis Annalium & Historiarum operibus, quid aliud pas-  
 sum quam mera Tyrannorum exempla proponit, nominatim Tiberios,  
 Caligulas, Claudios, Nerones, Vitellios, Domitianos, non  
 homines, sed humana nature prodigia, ac meros sanguinarios: eo-  
 rumq; crimina, voluptates, flagitia, incestus abominandos, lamentabi-  
 les veneni propinationes, parricidia, graphicè delineat? quarum re-  
 rum non tam cognitio potest esse fructuosa, quam exem-  
 plum

Casaub.  
 Præfat.  
 edit. Po-  
 lyb.

plum perniciosum. Sed Tacitum nascendi fors in ea tem-  
pora, huic duræ conditioni & necessitati alligaverat, (qua  
de re sapius ipse gravissimè queritur) ut vel silendum esset,  
vel ista scribenda. At speculum boni Principis saltuatim  
& carptim tantummodò in Julii Agricolaë Vitâ sub Nerua & Tra-  
jano attigit; quando primo statim beatissimi seculi ortu Nerua Caesar  
res olim dissociabiles miscuit, Principatum ac Libertatem, auxitq;  
quotidiè facilitatem imperii Nerua Trajanus, nec spem modò ac vo-  
tum Securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur assumpsit. Quo-  
rum optimorum Principum, Divi Nervæ principatum & impe-  
rium tunc-præsentis Trajani Tacitus, uberiolem securiolemq; ma-  
teriam senectuti suæ seposuerat, rarâ temporum felicitate, ubi sentire  
quæ vellet, & quæ sentiret scribere liceret. Sed nobis ita sufficiat hæc  
pauca simulacra bonorum & malorum principum, quales fuerint aut  
esse, aut non esse debeant, generatim ex antiquitate tutius produxisse:  
quippe cum Lipsio meo non tango flammam nostram, nec famam aut  
fatum provoco: exemplum quorundam etiam nostratium prudentio-  
rum secutus, qui sub antiquis temporibus nostri ævi scenam præfigura-  
runt. Hujus nota catus cautor est Marchio Virgilius Malvez-  
zius Italus, qui vernaculo sub idiomate bonum Principem sub  
Romulo, statusq; ejus arcana; ac Tyrannum sub Tarquinio Su-  
perbo, ejusq; malas artes & scelera suis coloribus expressa, ut tabel-  
las Apellæas publicè contemplandas, suspendit. Quos aureos sanè li-  
bellos JOHANNES KRUISIUS JESPERSON Suecus feliciter La-  
tinitate donatos orbis literati bono publicos esse voluit. Nec defue-  
runt alii: nominatim proavorum nostrorum memoriâ Antonius de  
Guevara D. Caroli V. Imp. Historicus, qui sub Aurelio, ac nostrâ  
ætate Cunradus Rittershusius J.C. sub Antonino Philosopho,  
ut & Matthias Berneggerus, Thales meus incomparabilis, sub  
Tito Vespasiano, Specula Bonorum Principum arbitranda,  
partim ad fidem historia, partim ad simulacrum veri Principatus,  
prodiderunt. Præter hos civiliter bonos, multi etiam Christianos  
Principes dederunt: præeunte fortasse illis magno Batavorum De-

B

siderio

siderio Erasmo: qui Institutionem sui Principis Christiani  
 Juventuti Caroli V. & Ferdinandi I. dirigendæ, *superstite*  
*adhuc eorum Avo Maximiliano I. Imp. scriptam obtulit.* De  
 Nicolai Machiavelli Florentini Secretarii Principe pleriq;  
 lapides, pauci rosas loquuntur. Qui enim ipsum calculo damnato-  
 rio ex Politia, Aulis & Curis Christianis præcipitem exturbant, illi  
 prætendunt, quod acuti quidem, acris, subtilis & planè ignei  
 ingenii vir fuerit, sed intestabilis & pestilentissimus impietatis, im-  
 probitatis, & perfidia magister, Principatus & Curialibus, pace &  
 bello, suis nefariis artibus imposuerit, & sub dulci principatus admi-  
 nistrandi & conservandi institutione merum venenum & interitum  
 propinaverit. Nam dum ingeniosissimus ille humani generis impo-  
 stor Principem suum rectà ad Templum illud Virtutis & Hono-  
 ris se ducere promisisset: nimis sæpe eum acumine suo abusus de-  
 flexisse, & dum intentissimè Commodi illas semitas secutus esset, à re-  
 gia Principem suum ad Honestum instruendi viâ aberrasse pateret.  
 Unde Cæsari Borgiæ (qui quis esset suo ambitiosissimo Symbolo,  
 AUT CÆSAR, AUT NIHIL, testatum ivit) præter alia vene-  
 nata dogmata, Atheismi curam instillavit, non requiri scilicet in  
 Principe veram pietatem, sed sufficere illius quandam  
 umbram & simulationem. Sed longè pientius M. Tullius do-  
 cuit: Cultum Deorum esse optimum, eundemq; castissi-  
 mum atq; sanctissimum, ut eos purâ, integrâ, incor-  
 ruptâ & mente, & voce venereris. Deindè malè cal-  
 lidus homo, munitiores eo ipso Reges fore, censuit, si subditi,  
 quibus imperarent, nequiores forent: quasi patientiores  
 servitutis arbitraretur eos, quos non deceret nisi servos  
 esse. Sed eo ipso falsissimo Axiomate fallitur & fallit. Nam  
 longè verius est illud Crispii iudicium: Pessimus quisq; asper-  
 rimè rectorem patitur. Idem novus ab Hetruria Politice Sa-  
 Aristoph. pientia, seu potius fraudulentiæ doctor, (cui nec ara, nec fides,  
 Acharn. nec ulla firma pactio est) aures Principis sui venenavit, suadens,  
 Cicer. 3. ut omnia recta & honesta negligeret, dummodò potentiam  
 Offic. consequeretur.

Lipf.  
Præfat.  
Polit.

Lipf.  
Præfat.  
Polit.

I. 2. Nat.  
Deor.

Salust.  
Orat. 1.

ad Cæs.  
Plin. Pan.  
c. 45.

Orat. 1.  
ad Cæs.

Aristoph.  
Acharn.

Cicer. 3.  
Offic.

consequeretur. *Qui etiam intermortuum illud Euripi in Phædis recoxit: Omne jus regnandi causâ violandum esse; nisi aliis in rebus pietatem colendam. Fraudes & captivulas esse miscendas juxta proverbium: Cum Crete Cretizandum, cum vulpe vulpinandum. Sed Cretizanti illi vulpioni oculos liquidâ & purâ veritatis luce præstrinxit Lipsius noster, l. 2. Polit. animosè ita effatus: Apagite istas perjurii magistros, o mei reges, -- neu rumpite foederis pacis, Ne regnis posserte fidem. Idem in optima frugis Notis, cum præcipit, ut Princeps cum Catone esse, quam videri, probus malit, addit. Nemo ergo Machiavellum audiat, qui simulatam nescio quam virtutem Principi induit, & scenæ servientem. O dogma ad Principis perniciem pariter & subditorum! Contra pura probitas, illa est proba; sunt ejusdem planè prætorica verba, aut potius Oracula. Idem Politicus, dum statuit aculeonibus & acriculis abesse caput consilii, quod non in acumine, aut sermonum rationumq; copiâ, sed in directâ quâdam judicii normâ consistat, Machiavellum pro exemplo allegat; quo quidem nihil acutius fuerit, sed qui parùm bonus aut felix Cesari Bergiæ Consiliarius exstiterit, quicquid excusaret se, & fatum accusaret. Quæ judicia quantum probe Christophorus Colerus Francus, publicè testatur apud Stanislaum Zelenium Equitem Polonum his verbis: De Machiavelli Principe in medio est censura Lipsii; Lipsii inquam; ejus cave tu judicium temerè spernas. Mirificè rectâ lineâ peragitur. Idem mihi cognominis suum quoq; ibidem judicium tale tulit. Machiavellus in decem libros priores T. Livii facundus est, & ut solet, acutus; sed est ibi quoq; ubi ad malum istud nō credit. Acuendi igitur tibi sunt oculi, ut navi impietatis & improbitatis appareant. Alias non tantùm te multis modis acuat, sed veterem Historiam legentem ducat velut manu. Hæc ille. Quanquam verò Machiavellus hic secretorum tyrannicorum proditor passim apud veros Christianos,*



*stianos, Theologos, & Politicos vapulat: tamen habet & aliquot  
 suos patronos & excusatores. Janus Gruterus, Vir summus,  
 festivo suo Apophthegmate apud Zingresium aliquà ex parte il-  
 lum purgare videtur, quando inquit; omnes una voce Machiavel-  
 lum, Machiavellum clamare, execrari, detestari, quasi ille suis ar-  
 tibus fax & tuba omnium in orbe Christiano malorum esset; cum  
 tamen omnes aequè Principes & privati illum eundem pragmaticis  
 suis actionibus representent. Daniel Heinſius Phœnix seculi  
 nostri, dum contra Bodinum J.C. Aristotelem ab ipso convellere  
 tentatum vindicare contendit, haud paullo circumſpectius hac tem-  
 præfixa. peſtate cymbalum Politicorum, Scriptorem Florentinum egisse, ſta-  
 tuit, quod describere Aristotelem quàm ſugillare maluiſſet: idq̃  
 callidà diſſimulatione, ex præſcripto artis quam profiteretur. Ac  
 in Principe præſertim: in quo homo vaſer, non tam fundamenta  
 domûs, quam ſtructuram ædificii totam deſumſiſſet. Tam hero-  
 icà conſtantiã, ut, niſi quod exempla ſui temporis appoſuiſſet, qua  
 de conſervatione principatûs Philoſopho dicuntur, tanquam ea, qua  
 privatam jus ignorant, occupando ſibi vindicaſſet. Omnium  
 verò mitiſſimè de eo ſentit Albericus Gentilis J.C. Oxoniensis:  
 1. 3. c. 9. qui prius tamen proteſtatus ſe impietatem illius & improbitatem,  
 de Legat. non tueri, non veretur Legato futuro in exactã hiftoria & Politi-  
 ces notitiã Hetruſcum illum ducem ad imitandum proponere, ejusq̃  
 planè aureas in Livium Obſervationes præcipuè illi commendare.  
 Nam ſi librum editum adverſus illum (intelligit Antima-  
 chiavellum Innocentii Gentiletti J.C. Gallici) conſidero, ait; ſi  
 Machiavelli conditionem reſpicio; ſi propoſitum ſcri-  
 bendi ipſius rectè cenſeo; ſi etiam meliori interpreta-  
 tione volo dicta ipſius adjuvare; non equidem video,  
 cur & iis criminibus, mortui hominis fama liberari non  
 poſſit. Qui in illum ſcripſit, illum nec intellexit, nec  
 non in multis calumniatus eſt: Et talis omninò eſt, qua-  
 lis qui miſeratione digniſſimus ſit. Machiavellus De-  
 mocratia laudator & aſſertor acerrimus: natus, educa-  
 tus, oratus*

tus, honoratus in eoreip. statu: tyrannidis summè inimi-  
cus. Iraq; Tyranno non favet: ejus propositum non est  
tyrannum instruere, sed arcanis ejus palam factis ipsum  
miseris populis nudum & conspicuum exhibere. An  
enim tales, quales ipse describit, Principes fuisse pluri-  
mos ignoramus? Ecceur istiusmodi Principibus mole-  
stum est, vivere hominis opera, & in luce haberi? Hoc  
fuit viri omnium prudentissimi Consilium, ut sub spe-  
cie principalis eruditionis populos erudiret: & eam spe-  
ciem prætexuit, ut spes esset, cur ferretur ab his, qui re-  
rum gubernacula tenent, quasi ipsorum educator ac pœ-  
dagogus. Si favere Scriptoribus volumus, multa & in  
hoc vitia emendabimus: aut illa saltem fugiemus in eo,  
quæ in Platone ferimus, & Aristotele, aliisq; , qui non  
dissimilia commiserè peccata. Feremus autem, quia  
meliora deterioribus longè plurima & is habet. Hoc ha-  
bet, quod in præsentia quærimus, ut in lectione histori-  
arum non grammatizet, sed philosophetur. Eget pro-  
fectò altera alterius scientiæ cognitione. *Quæ ultima*  
*verba, tanquam gemmam in auro, Gabriel Naudæus Bibliogra-*  
*phus ille Politicus Gallus carè estimat. Idem candidissimus Cen-*  
*sor, quæ recta sunt in Machiavello probat, quæ secus improbat: cu-*  
*jus verba hæc meo Centoni, ut purpuram purpuræ illi, as suo: Poli-*  
ticus Florentinus, licet axiomata fermè omnia istius ad-  
ministrationis, conclusionesq; præcipuas suis in operi-  
bus passim dissemînarit; quia tamen subtiliores Philo-  
sophos imitatus est, qui inter disputandum plura suppo-  
nunt, quam probant, astuti & temerarii famam potiùs  
quam prudentis sibi conciliavit: multorumq; adversus  
suam doctrinam pennas acuit, quarum acumen retunde-  
re non ita forsan incasum Gaspar Scioppius proximis annis  
conatus est, edito Romæ de Padiâ Politicâ cultissimo do-  
ctissimoq; libello. Cui uni plus inesse bonæ mentis ac  
Judicii,

B 3

In Bibli-  
ograph.  
Politic.  
pag. 54.  
edir.  
Buchner.

Judicii, quàm reliquis ejus operibus, æquisimi certè librorum Censores haud immeritò existimavère. Idem hunc Machiavellum cum aliis inter famosos scriptotes numerat, quod secreta Principum, occultasq; fraudes, & nequitiam ministrorum, ac omnia quæ in politicis Regnorum administrationibus, velut sacra Eleusinia nocte quadam obseurâ tegi debent, in apertum proferat, nudamq; & sine veste Dianam unicuiq; profano conspiciendam præbeat: & statim in vulgus effundat: Quid Rex in aurem Reginae dixerit? Quid Juno fabulata sit cum Jove? *Etsi verò judicia reciprocata aliis prudentioribus examinanda relinquo, reputans illud veteris Poëtæ:*

*Inveniet quod quisq; velit. Non omnibus unum est*

*Quod placet. hic spinas colligit, ille rosas:* tamen hoc diligenter attendendum esse censeo gravissimum M. Tullii judicium seriò inculcantis per integrum Tertium De Officiis Librum; nullam sequendam esse utilitatem repugnante Honestate. Id quod idem honesti tenacissimus Auctor multis rationibus philosophicis, & exemplis Romanis & externis probat. Si Pictori cuidam apud Hermogenem capitale fuit, quod naufragii pieturam in portibus Diis marinis suspendisset, atq; terriculamento hoc nautas ab illis abegisset, unde vectigalibus Reip. imminutis reus fuisset reip: quanto magis Machiavellus suâ Principis loquente Picturâ, Tyranni, ejusq; Idoli, quod Politici Rationem Status appellant, Christianæ Reip. nocuit, nocet, & nocebit: quod profectò inexpiabile est crimen læsæ majestatis. Quod verò Gentilis tam benignè de Machiavello senserit, amore communis gentis facere videtur, & ut Legatum suum cum directâ prudentiâ etiam obliquam, h. e. fraudes edoceat, hunc Hetruscum artificem, quo nullum ingeniosorem sub sole vix invenire potuisset, exempli loco produxit. Fortassis idem J. C. Italicum ingenium Britennicâ crudelitate miscens, recoxit illam sive joco sive serio conditam ab Henrico Wottono olim Jacobi, Magnæ Britannia Salomonis, ad Venetos

Vide  
VVott.  
Epist. ad  
Velferū  
in Scal.  
Hypob.



netos Legato Definitionem: Legatus est vir bonus peregrè  
missus ad mentiendum Reip. causâ. *Quam audacem Defi-  
nitionem olim Gaspar Scioppius in Ecclesiastico suo virulen-  
tus alioqui Aristarchus, vehementer more suo exagitavit, & diris de-  
voravit. Sed modus esto Disfertatiuncula huic. Reliquum est, cum  
crastino mane horis consuetis in Elisabetano Adolescentes XII.  
& Pueri VIII sint declamaturi & recitaturi pro viriculis suis non-  
nulla de Imperio & Principatu, modis eò perveniendi, de  
genio Principum & Tyrannorum, à Vobis, VIRI MAGNI,  
DOCTI, BONI, cujuscunq; sortis & dignationis cum debitâ honoris  
præfatione, obnixè oro & contendo, ut, quantum cuiq; vestrum gra-  
viora negocia publica aut privata permiserint, nostro Literato Ocio  
cum bona gratiâ & faventiâ vacetis. Etsi verò magnus sit Decla-  
matorum numerus, & singulis anni currentis mensibus in utroq; ur-  
bis nostræ Gymnasio opella recitantium ferveant: tamen ad audi-  
endum impigrè coitur; quia Auditores plerosq; juvat & delectat,  
quod tantoperè vigeant studia, & ingenia utriusq; Scholæ certatim  
se proferant & ostentent. Ut verò tantus in animis juventutis ar-  
dor variis stimulis et calcaribus laudis et gloriæ accensus magis ma-  
gisq; sese exerat, Magnificus & Prudentissimus noster Se-  
natus, commisso ad id alacritatis fovendæ ministerio, vi-  
gilantissimis & strenuæ industriæ Viris Dn. Præsilibus,  
prudenter prospexit, ut singulis semestribus in alteru-  
tro Gymnasiorum diligentia monumenta, & Testimonia  
efficacia, quæ Præmia vocamus, aut monetæ cusæ, aut  
chartacea memorabilia, exacto prius experimento, iis in quibus  
melior spes effulget, porrigantur, ut non tantum præsentibus Speciminum Edi-  
toribus ornamenta, verum etiam aliis ad simile quid edendum acria posthac in-  
citamenta sint. Acuent certè ad bonas artes juventutem, adolescentes  
quoq; (digni sint modò) tanta præmia constituta; ait Plinius meus.  
Contra genus inhumanitatis noxiosissimum est, non eximios viros  
(addo & adolescentes qui sunt in magnos abituri Viros) extollere, &  
præmiis sollicitare de publico; ait Aulicus noster Ephorus Barclajus in  
divinâ Argenide suâ, Scrib. Vratislav. Prid, Kal. IunI, A. C. cId lbc XLVI.*

SERIES

lib. 16



# SERIES & ORDO PERSONARUM & MATERIARUM.

## ADOLESCENTES DECLAMABUNT, PUEI RECITABUNT.

<p>1. Ioh. VVilhelmus á Reichel Vratisl. De Imperio uniuersé.</p> <p>2. Fridericus Vollgnadius Vratisl. De Principatu, Imperii optimo statu.</p> <p>3. Christoph. Pomarius VVincinganus Pro masculo Imperio.</p> <p>4. Iohannes Peucerus Vratisl. Pro muliebri Imperio.</p> <p>5. Christianus Titius Iavoranus, Pro Successione.</p> <p>6. Abrahamus Klimpkus Fisch-bacho-Hirschbergensis Pro Electione.</p> <p>7. Iohannes Iustus Vratisl. Initia Principatum plerumq, meliora sine.</p> <p>8. Christophorus Blümelius Bulcobaino-viensis, De fine Principalium Actionum.</p> <p>9. Godofridus Baudisus Iavoran. De Tyrannorum.</p> <p>10. Esaias Anforgius Vratisl. De Bonorum Principum</p> <p>11. Carolus Ortlobius Olsnensis. Electionum Regum</p> <p>12. Adamus Valent. Profius Iavoranus, Successivorum Regum</p>	<p>1. Iohannes Albertus</p> <p>2. Ioh Sigismund. Haunold</p> <p>3. Ioh. Georg. Galischer</p> <p>4. Matthias Riedel.</p> <p>5. Daniel Kernichen</p> <p>6. Christoph. Freivvald</p> <p>7. Georgius Springer</p> <p>8. Iacobus VVehner</p>	<p style="writing-mode: vertical-rl; transform: rotate(180deg);">Vratislavienses</p>	<p>1. Græcè.</p> <p>2. Latine.</p> <p>1. Græcè.</p> <p>2. Latine.</p> <p>1. Latine &amp; prose.</p> <p>2. German. &amp; vorse.</p> <p>1. Latine &amp; prose.</p> <p>2. German. &amp; vorse.</p>
--	---	--	---

Affectibus.



Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3  
002 686 287




Sb,

VD17  
Sep. 2000 Pd.







...US  
...n & Tyrannorum,

# Johanne

...ajo  
...ratus:

*...i Donativorum*

*...saria,*

*...s Oratoriis,*

*...erano*

*...c Ib. Ic XLVI.*

*...lus:*

*...TORE*

*...RO COLERO*

*Professore.*

*...rgius Baumannus.*

79

